



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Constitutio Alexandri VII. De sensu ab Authore intento, cum Annotatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

*Decretum Alexandri VII. de sensu ab  
Authore intento, Clero Gallicano,  
ad instantiam Regis Christianis-  
simi.*

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

*Ad Perpetuam rei memoriam.*

**R**egiminis Apostolici divinâ Providentiâ nobis quamvis immeritis commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & Fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum & curam omnem, quantum licet in Domino applicemus. Quamobrem Cornelij Iansenij hæresim, in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædecessore nostro ferè oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est in varios gyros, & cavillationum defluxus euntem, singulari Constitutione ad hunc finem editâ, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent; qui tamen unicus erat votorum & curarum nostrarum scopus, quibus operam & industriam suam egregio fanè studio venerabiles Fratres nostri



Archiëpiscopi & Episcopi Regni Galliæ, earundem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt; & charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus, singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo ac constantissimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Christianissimus eodem religionis zelo ductus, per suum in urbe Oratorem nobis significari exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam Formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque Propositiones ex Cornelij Iansenij libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantociùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus flagitaverit. Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, Formulam infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis etiam venerabilibus Fratribus nostris Archiëpiscopis, & Episcopis, nec non aliis quibuscumque Ecclesiastici ordinis, tam Regularibus, quàm Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi districtè mandamus, idque intra tres menses à die publicationis seu notificationis Præsentium; aliàs contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

*Formula*



Formula à supradictis subscribenda.

E Go N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maij. 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me subijcio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Decernentes insuper præsentis Litteras semper & perpetuò validas & efficaces existere, & fore, suorumque plenos & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, ubique judicari, & definiiri debere, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, ac irritum et inane esse, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum ordinariis committimus, et mandamus, ut singuli in suis Dioccesibus, ac locis suæ Jurisdictioni subjectis præsentis Litteras, et in eis contenta quæcumque exequantur, et exequi ac observari ab omnibus curent, et inobedientes quoscumque per Sententias, et pœnas, aliâque juris et facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate



Ecclesiasticâ constitutâ munitis , eadem fides  
 Prorsus adhibeatur , quæ ipsis Originalibus Lit-  
 teris adhiberetur , si essent exhibitæ vel ostensæ.  
 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc no-  
 stram Constitutionem et Ordinationem infringere  
 vel ei ausu temerario contraire. Si quis au-  
 tem hoc attentare præsumperit , indignationem  
 Omnipotentis Dei , ac BB. Petri et Pauli Apo-  
 stolorum ejus , se noverit incursum. Datum  
 Romæ apud S. Mariam Majorem , anno Incar-  
 nationis Dominicæ 1664. 15, Kal. Martii Pon-  
 tificatus nostri anno decimo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1665.  
 Litteræ illæ affixæ & publicatæ &c. *I. Cardi-  
 nalis Prædicatorius S. Vgolinus , visa de Curia P. Ciam-  
 pinus.*

### C O N C L U S I O.

**H**æc sunt supremi Pastoris placita , hæc  
 oracula indubitata. Quid igitur hæsitamus ,  
 & hæsitando divini judicij interminationem  
 incurrimus ? Assumpti sumus in Clerum  
 tam Sæcularem quàm Regularem , ut populum  
 Christianum verbo , & exemplo doceamus. At  
 quomodo sperandum ut fideles vocibus nostris  
 obtemperent , si ipsi supremi Doctoris placitis  
 obluetentur ? Nulli sanè nostrum prouissa est  
 à Christo auctoritas in docendo falli nescia. Er-  
 rarunt etiam ex Patribus bonâ mente viri San-  
 cti , & doctrinâ illustres : nec ideo minùs aut Pa-  
 tres , aut Sancti , aut illustres fuere. Sed in hoc  
 magis Patres , magis Sancti , magis illustres ,  
 quod doceri non recusaverint. Unus est à Deo  
 nobis constitutus Doctor supremus Petri succes-  
 sor,




*Decretum Alexandri VII. de sensu ab Ec.* 469  
for , Pontifex Romanus , uti lubentes agnos-  
cimus universi. Erraverit hoc sæculo aliquis si-  
ve in Dogmatum , sive in Morum doctrina :  
nihil fecit nisi quod humanum est , & cum Viris  
summis, ac sanctis commune. Ast errorem tueri,  
aut auscultandi Christi Vicario remoras innec-  
tere, hoc nos neque viri Sancti , neque Patres  
docuere , quorum vox una cum D. Augustino  
semper fuit , *Româ Rescripta venerunt , Causa finita*  
*est.* Stemus igitur dociles & erecti ad vocem  
Pastoris supremi, sive nostra , sive aliena cor-  
rigentis , & utrumque pari alacritate suscipia-  
mus. Si tuta amamus , hoc tutissimum , si  
certa quarimus , hoc certissimum , si Sancta  
sectamur , hoc omnino sanctissimum. Hoc  
unum si , ut debemus , unanimes amplecti-  
mur , erit demum multitudini credentium cor  
unum & anima una : quod unum , & porrò  
necessarium, unicè vovemus universi.

FINIS.

PROSE-





Faint, illegible text visible on the right page, likely bleed-through from the reverse side.

31418

Faint text or markings at the bottom of the right page.

Fragment of text from the adjacent page on the right, including letters like 'I', 'P', 'n', 'fi', 'fi', 't', 'e', 't', 'f', 'e'.